Capitulum Cathedrale Vilnense, pro Generalibus Consiliis Autumnali Semestri, Die 28° Septembris 1868° Anno, justa suum Statutum, a Sacra Sede
Apostolica auctorizatum, una cum Suo Vicario, post abscessum Illustrissimi Loci Ordinarii unanimi consensu electo, et confirmato, congregatum, inter alios, Bonum
Ecclesiae, totiusque Diaeceseos concernentes tractatus; rememorando multa, eaque haud modicae utilitatis merita et beneficia, fere ducentorum annorum spatio, pro
diversis Templis, Paraeciis, Monasteriis, Geronto, ac Orphano-trophaeis, per hanc amplam Diaecesim dargitis, in aevum perennaturis, donis, et fundationibus, a No-
bilissima in Polonia Illustris Familiae Comitum Pustowsciorum Domus Prosapiae, fere haereditaria pietate, virtute, nec non erga Deum, sanctamque Catholi-
cam Religionem amore sine quaerela, hactenus florentis; ad praestandum eidem Celeberrimae Genti debitum gratitudinis obsequium, atque futuris saeculis imitan-
da posterorum exempla, statuit, decrevit, ac perpetuis Actis suis inscribi voluit, hoc indubiae fidei Testimonium, e publicis munimentis depromtum. Videlicet: Perillustrem
olim Magnificum Adalbertum Comitem Pustowski, nobilis poloni Casimiri Michaelis Mongud de Poustowie Pustowski Signiferi Pinscensis, Regimentarii exerci-
tuum regni Poloniae, publico Diplomate immortalis memoriae Joannis III Regis Poloniae, sub die 3° Febr. 1672° Anno, pro maximis Atavorum suorum,
ac propriis in Patriam Rempublicam, cum vitae fortunarumque dispendiis laboribus, et meritis, praecipue contra immanem Christiani nominis hostem Osman-
norum Tyrannum, heroice exantlatis munerati, Abnepotem, eorundem suorum, non solum tantummodo Nomen et natales, sed virtutem etiam ac pietatem
quasi jure quodam haereditario sortitum, illorumue gloriam laudabilibus gestis et factis accumulantem ab Alexandro Primo Magno totius Rossiae Cae-
sare Autocratore condignis Honoribus decoratum, praeter continua, ad extremum halitum, pro communi Concivium suorum bona merita et studia, infatigabiliter
promota multis quoque templis, in bonis haereditariis maximo sumptu restauratis, ac redditibus auctis, in oppidibus vero suis Chomsk, Olszew, Stare-Dzie-
wiątkowicze et Szydłowice nouas et fundamentis Basilicas erexisse, atque dotasse, in alio autem, Kossowo, penes Ecclesiam paraecialem, quatuor per-
petuos Mansionarios, pro rudioris plebis Catechismo instructione, cum sufficienti pro iisdem sustentandis peculio fundasse: neque his contentum, insatiabili me-
ritorum coram Deo et hominibus auiditate gestientem, junctis viribus, cum suo Fratre germano, piae memoriae, Custodi cathedrali Vilnensi Stephano Pu-
stowski, ad 30,000. argenteorum rossicae monetae Rubl. dictae, pro aedificio nouae Capellae in Domo Beneficentiae, seu Geronto-tropaeo Vilnensi, atque augmen-
to sustentationis pauperum, ibidem degentium largiter expendisse: utpote ambo justa Apostoli doctrinam communi consilio et firmo proposito, /: Gal: 6. 9: / ut bo-
num facientes non deficiant, ac in bono ultra fructificent, /: Coloss. 2. v. 10: / providentes bonum non solum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus, /: Rom.
12. v 17: / ut magis semper magisque pietate abundent. /: 1. Thess. v 10: / Tantorum igitur singularium Virorum Misericordiae ac Pietatis ut pro semper gra-
tissima permaneat memoria, Capitulum Cathedrale Vilnense, dignum ac justum esse unanimiter censuit, et statuit, Actis suis, de hujusmodi utriusque Fra-
tris meritis notitiam ad perpetuum posterorum exemplum, ac imitandi aemulationem, consignare; nec non petentibus Magnificis Dominis ejusdem Fun-
datoris nepotibus Francisco et Sigismundo Comitibus Pustowski ex eodem Actu Copias sub minori Sigillo Capituli, extradi permittere. Quippe, ut dicit Scrip-
tura: /: Eccli. 44. v. 14: / „Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, et nomen eorum vivet in generationem et generationem: et laudem eorum nuntiet omnis
Ecclesia Sanctorum".–

Administrans Dioecesim Vilnensem Vicarius Capitularis Petrus
Zyliński Praelatus Praepositus Cathedrae Vilnensis S. Theologiae Doctor

Praesidens Generalis Capituli Praelatus Decanus Cathedralis Vilnensis, Consistorii Surrogatus Sacrae Theologiae Doctor Mamertus de Fulstin Herburtt mp.

Praelatus Archidiaconus S. Th. D. Alexander Wasilewski

Praelatus Custos SS. CC. Doctor Antonius Niemcewicz

Praelatus Scholasticus S. T. Magister Eduardus Tupalski

Canonicus Senior M. S. Th. Ludovicus Zdanowicz.–

Secretarius Capituli Alexander Wasiewicz Presbyter.